



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 86. Stockolomia a Christierno II. Daniæ Rege occupata

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

victor tenuit, atque Archiepiscopum Upsalensem suæ Sedi restituit, ab eo in Regem proclamatus, adjecta tamen bina hac conditione, Suecis ita exigentibus. I. Ut novus Rex Catholicam fidem adversus ejusdem hostes tueretur. II. Ut omnium præteritarum injuriarum, ac hostilitatum ultro citroque perpetratarum plenam omnino veniam cunctis, nullo excepto, concederet.

§. LXXXVI.

Stockolmia a Christierno II. Danice Rege occupata.

Ceterum Christina dolori, quem ob Ste-
nonis Mariti sui mortem concepit, non adeo impotenter indulserat, ut pro-
lium suarum rebus prospicere oblivisce-
retur; quippe Sigismundum Poloniae
Regem quantocius inducebat ad ferendas
militum suppetias, ut vero Regis præsi-
dium sibi eo certius redderet, tanquam
futuræ amicitiae gratique animi pignus,
gemmas diademati olim affixas eidem
transmisit: Ast Sigismundus nativæ in-
dolis vitio ignavus, Nobilium consensum
necdum accessisse obtendebat, illumque
obtinere tamdiu cunctabatur, donec Da-
niæ Rex ad complendum victoriæ suæ
cursum sufficiens nancisceretur spacium.

*Jos. Magus.
hist. Suec.*

lib. 34.

De Thon hist.

lib. I.

Unde præcipuæ urbes Christierno por-

N n 3

tas

Sæcul. XVI.
A. C. 1520.

tas aperiebant, & Provinciarum Rectores eidem obviam effusi, fidei Sacramento sese ei obstringebant, ac fideliores Stenonis amici, Ducis obitu sese a fidelitatis lege solutos rati, Regis clementiam exorabant, ipsaque urbs Stockholmia, quæ prius diu oppugnantium impetus sustinuit, nunc expectata nequidem obsessione deditioem faciebat. Igitur Christina ab omnibus derelicta cum suis liberis in Moscoviam sese recepit, Christiernus vero, ut eo securius Suecis illuderet, petitam injuriarum oblivionem sine omni exceptione concessam promulgari jussit. Demum quartam Novembris, in quam dies Dominica inciderat, inaugurationi suæ destinavit, qua peracta octo omnino dies equestribus decursionibus ad trajiciendum annulum institutis, pugnisque ludicis festive impendebantur, nec non cujuscunque conditionis personæ Regiis sumptibusalebantur, ac denique postrema solemnitatis die Senatores, ac Suecicæ coronæ Ministri sumptuoso convivio a Rege excipiebantur.

§. LXXXVII.

Daniæ Regis sævitia in Senatores Suecos.

Senatores impendentis periculi penitus ignari,